

§. 11.

Pfalmographus Psal. CVI, 33. ad peccatum isthoc digitum tendens, verbo **ΝΟΨ** utitur, inconsideratam oris apertionem & verba, quæ alicui excidunt, temeraria notante; ceu apparet ex Lev. V, 4. Prov. XII, 18. (Luth. daß ihme etliche Worte entführen) Sine ulla vero dubitatione aut respexit ad verba Mosis c. cit. v. 10: Audite nunc, o rebelles, numquid de petra hac educemus vobis aquam? Enimvero hominem puniturus in fontem mali, nempe animum, maxime omnium intuetur supremus καρδιογνώστης. Quamvis igitur hæc verba per se ac prima fronte nihil incommodi aut mali videantur alere; tamen, cum prolata fuerint animo per iram exacerbato vehementerq; turbido, cum etiã diffidentiam cum impatientia conjunctam præ se tulerint, populoque scandalum præbuerint, tantopere Deo tunc displicuerunt. Conf. Geier. Præl. in Ps. part. 2. p. 612. & Pomeran. Auctar. in Psal. aut respexit ad ejusdem verba Num. XI, 21, 22. *Sexcenties mille peditum est populus hic, in cujus medio ego sum: Et tu dicis: Carnem daturus sum eis, ut comedant mensam plenum. An greges Et armenta jugulabuntur eis, ut satis sit eis? An omnes pisces maris congregabuntur eis, ut satis sit eis? Dixit Dominus: An manus Domini decurtata est? Et c.*

§. 12.

Nec incommode vero existimant alii, transgressionem isthanc sanctissimi Dei servi magis elucere, si inter ipsam & mandatum divinum, a quo recesserat ac deviarat, contentio nonnulla atque comparatio instituat. Jusserat DEVS, ut cum petra loqueretur, v. g. h. e. mandaret petræ in nomine DEI omnipotentis, ut aquam ebulliret. At enim, mire hîc in omnia alia fere abiens, exorbitat ὁ μάρτυς θεῶν ἀυτοπεύρωπ (1) non petram, sed populum alloquendo (2) mandati divini mentionē coram populo rebelli prorsus omittendo (3) erotematice, tanquam aliquid incertū, proponendo, atq; in dubium vocando, quod Deus certo promiserat, quodque categorice asserendum fuerat, tanquam certissimum;